AD EMINENTISSIMUM AC REVERENDISSIMUM PRINCIPEM ANGELUM MARIAM...

Girolamo De Bono

Digitized by Google

414.8
115

AD EMINENTISSIMUM
AC REVERENDISSIMUM PRINCIPEM
ANGELUM MARIAM
S. R. E. CARDINALEM
QUIRINUM
EPISTOLA.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

FLORENTIAE. MDCCXLVI.
Ex Typographio ANDREAE BONDUCCI
PRAESIDUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

116

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

ANGELO M. QUIRINO

S. R. E. CARDINALI BIBLIOTHECARIO

EPISCOPO BRIXIENSI

ET CORTONENSIS ACADEMIAE ETRUSCORUM

PRINCIPI OPTIMO

SOCII EJUSDEM, AC HIERONYMUS DE BONIS

ACADEMIAE A SECRETIS

FELICITATEM.

NOſtra Etruſcorum Academia tua cooptatione exornata, regimine, & Majeſtate fulta, ejuſque nomen tuis Literis ad nos humaniſſime datis apud ex-

Digitized by Google

teros ſumma cum laude propagatum, Bibliotheca noſtra abundanti Librorum Penu ditata; & quod pretium auget tua cura editorum, vel conſcriptorum: Singularia haec, aliaque plura, quibus nos complecteris, beneficia uberrima quidem expoſtulant devotionis noſtrae, & grati animi argumenta Eminentissime Princeps. Quid? nonne Comitas tua nos magis, magiſque devincict, dum nos tanti facis, ut ad ea, quae ſapientiſſime commentus es de Argonautica ad Colchos Expeditione, Calculum noſtrum addi poſſe non dubites? Et Viri de literis benemeriti Antonii Vulpii Sententiam tanto eruditionis apparatu exornatam, exquiſitis conjecturis innixam de eximio tuo, & raro admodum antiquitatis Monumento, nempe de tuo Diptyco, deque Symbolis in ipſo eleganttiſſime exciſis noſtro cenſeas voto comprobandam? At dum tua nos undequaque devincit Comitas, urget tantorum Virorum auctoritas, urget impoſitum onus, ut quid conſilii capiendum ſit ignoremus; tuis quippe monitis non obtemperare indecorum, os in caelum ponere periculoſum. Verum cur haeſitandum, dum literarum Principem, & Patrem alloquimur

117

mur amantiſſimum? Satius erit potius Tibi morem gerere, quam ingrati animi vitio notari: praeſertim cum nihil ſit metuendum, dum tuis inhaerentes veſtigiis, quae iam in Opere de Corcyrae Primordiis ſcite admodum protuliſti certam. Epocham Argonauticae Expeditioni praefigendo novis coniecturis confirmare ſtudemus, & Vulpii opinionem de tui Diptyci Symbolis non improbamus.

Antequam vero rem aggrediamur, ſine Princeps Eminentissime pro magnis in nos, Academiamque noſtram collatis beneficiis Tibi debitas grates perſolvi, licet eorum magnitudini impares, eximio tuo tamen animo, quo vel exigua libenter accipis, pares, Tibique grati animi ſenſus devoveri. Dum igitur has Tibi rependimus gratias, eas in memoriae teſſeram tantorum benefactorum, & verae devotionis noſtrae, precamur, habeas: quod ex voto contingere poſſe non deſperamus, dum tuam humanitatem, liberalitatemque intuemur: haec enim ſunt, quae verae pietati, & literarum amori coniuncta efficiunt, ut ſumma cum laude tuum Nomen per omnium ora circumvolitet, ut omnes

per-

Digitized by Google

percelebres Academiae Te ſocium ament, Patronum optent, ut munera praeclariſſima, quibus ornaris, plus Tibi debeant, quam Tu illis. Quaenam, ſive percelebris, ſive exigui nominis Urbs, quis Locus, ſeu Gentium Societas, quae Tibi, vel ſubiecta ſit, vel officio cognita, tua non ſentiat beneficia? Perennia ſunt ampliſſima monumenta, quae id teſtantur; at perennior erit Tui Nominis gloria, quam tamen ita deſpicis, ut tuis muneribus maior videaris: Hoc itaque eximiae humanitatis argumento confiſi alacri animo ſenſus noſtros Tibi patefacere, & ad argumenta propoſita accedere non veremur.

Liceat igitur nobis praemittere, quod neminem latère arbitramur, ea, quae de Argonautarum Expeditione referuntur, eſſe adeo Fabulis involuta, ut cetera, quae Orientales Populi primum, deinde Graeci tradiderunt, ut facilius nodus in ſcirpo exquiratur, quam veritas ex huiuſcemodi fabuloſis enarrationibus eruatur.

Epimenides Cretenſis circa XLVII. Olympiadem apud Athenienſes contubernalis, primus de hac Expeditione verba fecit; eamque

Digitized by Google

que, teſte Diogene Laertio, in eius vita carminibus ſex mille quingentis deſcribere aggreſſus eſt: floruit is vivo Solone ante Chriſtum natum An. DLXXXXVI.

Exſtant etiam nonnulla carmina, quae Orphei nomine circumferuntur a nonnullis Thracio Orpheo Lebetrienſi inter Heroas huius Expeditionis adſcito adtributa. Inter ceteros hanc fovet ſententiam Conſtantinus Laſcaris in Prolegomenis ad Orphei Opera, quae tamen non edidit. Verum ex eleganti nitore, quo praedicta carmina fulgent apud Claſſicos Auctores clare evincitur, ea quae ad rem noſtram faciunt tantae non eſſe vetuſtatis, & perperam huic Orpheo adtributa; niſi forte ad alium huius nominis Auctorem haec carmina referre placeat, cum ſex eo nomine circumferantur Auctores, ut ex antiquitate notare licet. Verumtamen haec carmina etiam Orpheo Crotonienſi, ſeu Onomacerito ſunt tribuenda, quem vixiſſe ferunt tempore Piſiſtrati Athenarum Tyranni ante Chriſtum Natum DLX.

Dionyſius Mileſius alio Poemate, ſicut & quidam Antimachus alio, hoc figmentum

pro-

Digitized by Google

proſequuti ſunt: Pindarus quoque illud ſuis carminibus interſerere voluit annis quingentis ante Chriſtum natum, & Trogus Pompeius Auguſti tempore, ut ex Juſtino in Epitome quidquid de Argonautica Expeditione ex priſcis Auctoribus exſcerpere potuit, in ſua Hiſtoria collegit.

Uberius tamen nemo, exactius nemo Apollonio Alexandrino, aliter Rhodio, qui Bibliothecae praefuit Ptolemaei Evergetis, Ptolemaei Philadelphi filii & ſucceſſoris Anno ante Chriſtum ortum CCXXXXVI. rem attigit. Hic Graeco Poemate cuncta congeſſit, quae Aegyptii, ſive verbis, vel ſignis tradiderunt, Phoenices enarraverunt, & Argivi mythologice expoſuerunt.

Inter Latinos Valerius etiam Flaccus, imperante Veſpaſiano, Epicum Poema, eidem Caeſari dicatum ex praecitatis Auctoribus praeſertim Apollonio contexuit. Verum anne ex tantorum virorum curis noſtrae Expeditionis Epocham firmare licet? Minime: Quid enim certi ex Fabulis ſtatuendum? Ex his ſatis ſit nobis innuere, quod paucis ante Troianum Bellum annis ab Argonautis vela ventis commiſſa fue-

Digitized by Google

fuerunt: Idem ex diverſarum Enarrationum collatione, & ex Heroum nominibus, quibus Aurei Velleris raptus adſcribitur, evincitur non obſcure.

Hic tamen non quieſcunt Eruditi, & ſicut alia plurima, quae pertinaci labore, aſſiduoque ſtudio noſtris temporibus e tenebris vindicarunt, ita veram noſtrae Epochae ſedem detegere, eamque certo loco figere conantur. Lambecius illam ad annum Mundi MMDCCXV. ante Aeram Chriſti anno MMCCXXX. retulit. Neutonius non parum a Lambecio diſtat: Pater Suſiettus Jeſuita inter hos mediam metitur viam, figendamque dixit quingentos annos ante tempus a Neutonio aſſignatum, & poſt annos CXX. ex his, quae habentur apud Marmora Seldeniana: Petavius vult Argonautas ad Colchum profectos Anno Mundi MMDCCXXI. ante Chriſtum natum An. MCCLXIII.; & alios Chronologos ab his diverſimode ſentire comperimus.

In tanta igitur ſententiarum diverſitate, an aliquid certius de Troiano Bello ſtatuatur quaeſo videamus, ut facilius attingi poſſit, quid ad rem noſtram faciat. Huius Belli initium iuxta Lambecii Tabulam contigiſſe fertur An. Mun.

MMDCCLVII. Ante C. N. An. MCLXXXXIII. & anno XLII. poſt Argonautarum Expeditionem. In Marmore primo Arundelliano Troia capta dicitur An. Mun. MMDCCLXXXVII., ante C. N. An. MCCXXXVI. ex quo Seldenus Ilii caſum refert ad An. Periodi Iulianae MMCCCCLXXXXVI. ante C. N. MCCXVIII. Athenarum Rege Meneſtheo. Neutonius, qui ex Aſtronomicis obſervationibus Chronologicas ſupputationes deducere voluit, everſam Troiam affirmat ante C. N. An. DCCCCVII. Verum Suſiettus praelaudatus in ſuis Diſſertationibus huiuſcemodi opinionem omnino evertere nititur.

Doctiſſimus Petavius Troianum excidium refert ad annum Periodi Iulianae MMMDXXX, ſeu Mundi MMDCCC, & ante C. N. MCLXXXIV. & in Rationario, Anonymi apud Neandrum teſtimonio probat Argonauticam Expeditionem praeceſſiſſe Troiae ruinam Annos tantum XLII., qui, ſi detrahantur ex annis hic proxime notatis referenda erit ex illius ſententia ad Annum Periodi Iulianae MMMCCCCLXXXVIII. Mun. MMDCCLVIII. ante C. N. MCCXXVI. Quod tempus haud convenit cum ſuperius notato ex eiuſdem Petavii opere in libro

XIII.

XIII. de Doctrina Temporum ad annum Periodi Iulianae MMMCCCCLI., cui tamen ipſum non acquieſcere ſatis liquet, hinc in Rationario fuſius utriuſque Expeditionis tempora exquirere voluit.

In Bibliotheca Laurentiana Florentiae exſtat Codex MS., cuius Titulus „ Canon Chro„ nicus Latinus, & Graecus continens annos „ DCCCC. ante primam Olympiadem „ in quo habetur „ Anno CCCCVIII. ante primam Olym„ piadem Troia capta.

Conſtat igitur ex hactenus dictis, antiquos certum tempus, quo Epocha noſtra figi poſſit, non indigitare; ex quo Neoterici valde diſſident, dum hanc, & alteram Troiani Excidii firmare ſtudent. Ut itaque in re tam dubia aliquid certi aſſerere liceat, nil aptius, quam id ex rerum geſtarum enarratione deducere. Hinc optime notas, EMINENTISSIME PRINCEPS, in tuis Corcyrae Primordiis, quod Argonautae poſt diuturnam peregrinationem Corcyram appulerunt regnante Alcinoo, eiuſque Coniuge Areta, & quod ad eandem Inſulam appulit regnante adhuc cum Coniuge Alcinoo, Ulyſſes vagus everſa Troia; ex quo

Digitized by Google

apte infers lapſum temporis inter haec geſta longe minorem extitiſſe, quam annorum LXIV. vel LXVII. ut nonnulli noſtrae aetatis Auctores probare contendunt.

Ioanni Rainaldo Carlio in Patavino Lycaeo Literarum Profeſſori ab Argonautica Expeditione ad Troianum Incendium annos LXVII. interſerere placet. Verum eius ſupputationem non ſatis demonſtratam probare audemus. Neque aliquid ponderis habet quod ipſe refert in eius Opere „ Della Spedizione degli Argonauti in Colco „ & a nobis notandum proponis PRINCEPS EMINENTISSIME, videlicet „ Conchiuderemo alla fine, che ſe Medea andò „ in Atene undici anni dopo la Spedizione, „ e che in queſto tempo Teſeo ne aveva ſedici d' età; allor quando queſto ne aveva „ cinque s' intrapreſe la Spedizione per Colco. In oltre ſe Teſeo al venteſimo ſecon„ do anno di ſua vita inſtituì l' Agone Iſtmi„ co cinquanta anni prima dell' Incendio di „ Troia, ne ſeguirà, che Teſeo ſia nato ſet„ tanta due anni prima di detto Incendio, e „ che per conſeguenza ſeſſanta ſette ne foſſero „ corſi dalla Spedizione Argonautica.

Nam

Digitized by Google

Nam ex Chronico antiquiſſimo Laurentiano ſuperius allato diverſa deducitur ſupputatio, & Theſei ortus ad annum CCCCLX. ante primam Olympiadem refertur, & Troiae ruina ad annum CCCCVIII., ex quo habemus Theſeum natum, non annos LXXIII. ante Troianum Incendium, ſed annos tantum LII; e quibus ſi quinque detrahantur, quos idem Ioannes Carlius Theſeum exegiſſe contendit, ex quo Argonautarum Claſſis e portu diſceſſit, deducitur hanc diſceſſionem a Troiano Incendio Annos tantum XLVII. diſtare. Quod ut verum magis probetur ex celebri coniectura, addere non inutile erit quod in Tabula Iliaca Marmorea, a Cl. Fabretto explicata, obſervatur; nempe Demophoontem, & Achamantem Theſei filios poſt Troianum Excidium in ipſa Troade Aetram, aviam vivam, vegetemque repeeriſſe paene in ſervitutem ab Helena redactam. Ulterius animadvertendum ab Apollonio Rhodio narrari Argonautas bis Corcyram adventaſſe: primum cum dicit Corcyram, deinde Melitam & Nymphaeam, ubi Regina Calypſo ſedit, appulerunt: & paulo poſt, dum exponit Iunonem

Aeo-

Aeolum hortatam eſſe, ut ad Phoeaciam Inſulam; hodie Corcyram naves flecteret: In qua Alcinous nova claſſe conſtructa Heroas donatos voluit. At haec omnia nemo negat, niſi circa finem itineris haud exigui eveniſſe, & ſicuti varios caſus, longaſque peregrinationes, quae huiuſcemodi Expeditionis Viris tribuuntur, non intra modicum temporis ſpatium expletas fuiſſe arbitrandum videtur. Ideo tam antiqui, quam recentiores Chroniſtae decem annorum intervallum huic operi adimplendo adſcriptum volunt.

Cum itaque Argonautae circa finem itineris, teſte Apollonio Rhodio, Corcyram adventarint, cumque tantum anni XLVII. intercéſſerint ex quo Argonautae maritimum iter ad Cholcos ſuſceperunt ad Troiae lapſum; ſi ex his decem anni detrahantur arduo itineri adſignati, temporis intervallum eorum adventus ad Phoeacios ad Ilii ruinam erit tantummodo Annorum XXXVII., ex quo patebit Alcinoum, & Coniugem recepto Ulyſſe etiam decem annos poſt Ilii ruinam ſenio confectos iudicandos non eſſe; imo vivida aetate florentes putandos, ut integras

no-

Digitized by Google

noctes inſomnes ducere potuerint Hoſpitis enarrationes audituri.

Quod vero ſpectat ad eorum filiam Nauſicaam, cui XIV. Anni adſignantur, ex quo genitores Ulyſſem ſunt hoſpitati, nullum facit dubium, ſi genitricem Aretam etiam annorum XIV. aetate fuiſſe reputabimus, cum Argonautae circa initium itineris Alcinoi liberalitatem experti ſunt; num circa XXXVII. Mater annum enixa eſſe non poterat?

Notare etiam liceat ex Conſtantini Laſcaris Prolegomenis ad Orphei opera, ut ſententia noſtra magis magiſque firmetur, Orpheum natum annos LXXVII. ante Troianum Bellum, Athenarum Rege Aegeo, & Troadarum Laomedonte. Hic poſtquam a Lino literas, ſcientiarumque inſtituta accepit in Lybiam, & Aegyptum profectus, ibi per plures annos ſedem fixit: in patriam reverſus, quae ex ſtudiis, & longa peregrinatione edidicerat, ceteros edocuit: quo tempore ex Chyronis monitu ad Argonauticam Expeditionem a Iaſone fuit acceerſitus. Ex his, quis non novit eius vocationem, non niſi ad eius virilem aetatem ſaltem annorum XL. eſſe referendam? Idque annos plus minus XXX. ante

te

te Troianam Expeditionem factam aſſerere lubet: Quod adamuſſim diebus Alcinoi Regis reſpondet, & tuis ſupputationibus, PRINCEPS EMINENTISSIME; quamvis certae deficiant Epochae, quibus tempora Argonauticae Expeditionis, & Troiani Belli deſignari poſſint, & omnia haec Fabularum velo obducta ſint nobis tradita.

Praeterea ex hac rerum Hiſtoria quoquo modo nobis tradita nonnulla etiam eruuntur, quae illorum ſententiam, qui annos pluſquam LX. exactos contendunt ab Expeditione Colchica ad Troiae Excidium, omnino labefactant. Nemo enim negat Tyndarides Helenae fratres huic Expeditioni interfuiſſe, & gemino partu cum Polluce Helenam editam, quae XXV. annos ante Troianum Bellum, cum ſuae aetatis ageret decimum, fuit primum a Theſeo rapta. Helenae igitur tantum anni XXXV. ſunt adſignandi dum Troia expugnari coepit; ex quo paululum temporis ab una ad alteram Expeditionem diſtare conſtat; alioquin Troianum Bellum ſi ab Expeditione Argonautica pluſquam LX. annos diſtaret ad longaevam vetulam vindicandam ſuſceptum foret.

Ac-

Digitized by Google

Accedit etiam quod Hercules ab Expeditione rediens ſtatim Troiam acceſſit Heſionem Laomedontis filiam pridem a ſe liberatam ex pacto accepturus; at Regis illuſus periurio, Troia expugnata, Laomedonte interfecto filium Podarcem, ſeu Priamum ſuffecit, qui XL. circiter annos iam Rex fuerat, cum ſuae Urbis Excidium evenit.

Identidem, ut bene animadvertit Eruditiſſimus Abbas Banier in praeclaro Opere, cui titulus „ La Mythologie, & les „ Fables expliquées par l' Hiſtoire „ dum de noſtra Epocha loquitur Heroas, qui utrique glorioſo facinori interfuiſſe ſunt crediti, vel eorum filii, aut nepotes ſatis aperte demonſtrant primum ab altero non diſtare, niſi per unam tantum hominum generationem, ſeu per intervallum Annorum XXX. vel XXXV., quos ſingillatim enumerando opinionem ſuam, & noſtram optime probat; & licet multa obiici poſſe dicat, tamen appoſite infert difficultates difficultatibus conferendo longe minores ſententiae noſtrae obſtare, quam illorum, qui ab una ad alteram Expeditionem annos pluſquam LX. interpoſitos volunt.

Digitized by Google

Pro viribus dum tuarum Petitionum deſiderio, quod Argonauticam Expeditionem reſpicit ſatisfacere curamus Princeps Eminentissime, modo eſſet aliquid ſubnectendum; nempe quid de his, quae Vulpius tam erudite congeſſit, dum tui Diptyci Symbola patefacere conatur, ſentiamus. At quid unquam referre liceat, cum tot, tantique Viri in tam varias abeant ſententias, quas in tanta exculptarum Imaginum obſcuritate potius admirari, quam exquirere debeamus; & cum plura in dies magnifice aliqui meditentur, quibus aliorum labores irritos praefari non reformidant; non contemnenda tamen videtur Vulpii opinio, qui in Diptyci figuris Nuptias Ptolemaei Evergetis cum Berenice agnoſcit: Siquidem apud Sigiſmundum Liebe in Nummis Gothanis, & apud Antonium Franciſcum Gorium Socium noſtrum in Gemmis Muſei Florentini, & apud alios clariſſimos Viros Berenicis Imago parili capitis ornatu efformata inſpicitur, ac in priori parte Diptyci.

At ut res in dubium adhuc verti non poſſet, allata Hygini Auctoritas cum Iuſtini

Sen-

Sententia in Trogi Epithome lib. XXVII. conciliandа videbatur, qui Ptolemaeo Berenicem Uxorem nunquam Nuptiis copulatam, imo Antiocho a Patre Philadelpho traditam aſſerit; & a Seleucho Antiochi filio poſt mortem patris trucidatam, fruſtra ipſo Ptolemaeo Evergete opem ferente. Quid ergo? Si ad Romanum aliquem Tabulae pertinuerint, ut ipſi Vulpio placet, tam miro artis ſtudio in ipſis effictam dicemus Hiſtoriam; de cuius veritate duo fere eiuſdem aetatis eruditi viri Catullus, & Trogus non conveniebant? Verum haec citra invidiam, & viri undequaque celeberrimi contemptum dicta ſint: nam fortaſſe integra Trogi Hiſtoria, ut uberior rerum explanatio, ſcrupulum ex Iuſtini Epitome oppoſitum omnino tolleret, vel ex Graeci Scriptoris auctoritate fortaſſe de altera eiusdem nomenclaturae Ptolemaei filia Iuſtini Hiſtoriam loqui, aſſeri poteſt, praeſertim Hygino, & Catullo rei a Vulpio expoſitae conſentientibus. Neque enim novum apud Aegyptios plures eiusdem familiae Heroas eodem nomine, & eodem tempore de-

tifex Maximus horum operum ingeniis oblectatus ſit, iudiceat, Princeps Eminentissime, teſtem producere longe clariſſimum; qui eiusdem Pontificis familiaritate uſus eſt. Petrum dicimus Candidum Decembrium Viglevanenſem, qui in Epiſtola ad Epiſcopum Tarviſinum adhuc inedita, atque in Ambroſianae Bibliothecae Codice adſervata, haec de Paulo II. habet
„ Si Sanctitas Sua rite recolit, cum ad
„ Alphonſum Regem eſſem acceſſurus, vi-
„ vente adhuc Caliſto, propterea fui ad
„ eius praeſentiam ab ipſo requiſitus certa
„ ex cauſa, & cum annulum cum ſculptu-
„ ra antiqua protuliſſet, ut inſpicerem,
„ dixi id optimum augurium eſſe ſuae
„ futurae felicitatis; qua ex voce exhila-
„ ratus bis, terque a me requiſivit, an
„ vera dicerem, & cum conſtantiſſime aſ-
„ ſeverarem, laetatus corniola me inſigni
„ condonavit. Fuit autem dies illa Lunae
„ ſexta Decembris mcccclxiv.

Tu interim, Princeps Eminentissime, haec ad tua iuſſa facienda, quoquomodo prolata benignius, ut ſoles reſpice; & no-

Digitized by Google

nobis ſatis ſit tuo Patrocinio frui, & in eorum, qui Tibi famulantur, numerum cooptari. Vale; & bono literarum, quo natus es, iterum vale.

Data Cortonae in Aedibus Academiae Etruſcorum pridie Id. Decemb. Anno MDCCXLVI.

Digitized by Google

Digitized by Google